



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manuale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitium Spirituale Christianae Pietatis**

**Véron, François**

**Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]**

7. Vtilitates coetuum publicorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46577)

*Sabbatho, de beata Virgine: sic nullas dies abeat,  
quin aliquod ex præscriptis exercitiis vsurpes.*

## PARS SEPTIMA.

### *Vtilitates & bona cœtuum publi- corum.*

**D**iebus quoque sacris Sodalitatis cœtus frequentandi sunt; adhibenda etiam priuata librorum sacrorum lectio: congregiendum quoque cum piis ac sinceris sodalibus, iis, inquam, quibuscum meliores esse possimus; quibus de rebus omnibus subiiciemus pauca.

**M**erito autem Sodalitatis regule publicos sodalium cœtus frequentes constituunt. Nihil enim eiusmodi conuentibus utilius.

Primum enim ad Sodalitatis oratorium conuenire aliud nihil est, quàm præsentia aliqua B. virginis perfrui. Ipsa enim eum Sodalitati præsideat, haud dubiè singulariter in illis cœtibus præsidet, præsentiam suam alumniis suis exhibet, bona tunc sua omnibus maximè impertitur & communicat, eosdem filio suo commendat, & tanquàm delicias suas ei offert, cui scit delicias reputari esse cum filiis hominum.

*1. Vtilitas  
cœtuum pub-  
licorum est  
fructus præ-  
sentie B.  
Virginis.*

2. *Mutua So-  
dalium So-  
cietas.*

Deinde in publicis illis cœtibus Sodales mutua societate, adspectu, & præsentiâ gaudent, quibus proculdubio bonum & iucundum est, si non habitare, sæpe tamen cogi in vnum; quoniam scilicet, mandat illic Dominus benedictionem.

3. *Communi-  
cacio mu-  
tua bonorũ  
operum, &  
virtutum.*

Præterea, cum inter se Sodales conveniunt, mutuo quasi sibi bona opera, virtutesque communicant. Quicquid singuli habent boni affectus, voluntatis sanctæ, ac meriti, in commune, quasi spirituale ali- quod symbolum conferunt. Non defuerit sæpè, qui confirmaverint ipso solo ingressu in Sodalitatis Oratorium, vel cum frigidum essent, calefactos, vel cum tepidi, confirmatos se fuisse. Sicut enim, si quis in aulam, in qua luculentus focus est, ingreditur, non potest non caleferi; ita qui in Oratorium B. Virg. & illius præsentiâ illustratum, & tot propè ignibus, quot Sodales sunt, calefactum pedem infert, non potest non Dei amore inflammari, & spiritualis ignis scintillas perferentescere.

4. *Indul-  
gentie.*

Adhæc quotiescunque Congregationibus intersunt, quoties exhortationem audiunt, vel alicui pio officio, quod in defuncti alicuius gratiam exercetur, præsto adsunt, toties pro singulis eiusmodi operibus, vnius Anni Indulgentiâ sodales obtinent.

Postre-

Postremò, vt alia omittamus, exhortationis alicuius piæ, & ad institutum, fructumque Sodalium accommodæ benefici perfruuntur Sodales: Publici precibus, quæ pro viuis, & defunctis offeruntur Deo, matrique gloriofæ, interfunt, seque dignos efficiunt, qui vicissim, quando postulabit necessitas, commendentur & aliorum adminicula experiantur. Ex quibus omnibus luce clariùs apparet, quantum virtutis, pietatis, bonorum exemplorum, meritorum, subsidiorum, patrociniij virgineæ, ac cæterarum salutem promouètiun rerum iacturam faciant, & quàm se indignos Sodalitate constituent, qui facilè ab eiusmodi cœtibus absunt, & minima seculari occasione, Congregationes negligunt.

---

## PARS OCTAVA.

### *De priuatis sodalium inter se congressibus.*

Sicut prauorum societate nihil periculosius, quòd facilè sit malorum exemplis verbisque, & consuetudine impelli in malum; ita bonorum sodalium priuatis cōgressibus, ac societate nihil melius: nihil enim perinde ad virtutē excitat, quàm